



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

Religiosum quoddam exercitium precum in honorem nouem mensium,
quibus Virgo Devm vtero gessit.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

P R E C E S
 IN HONOREM
 NOVEM MENSIVM,
 QVIBVS
 BEATISSIMA VIRGO
 CHRISTVM
 VTERO GESSIT.

Beatus venter qui te portavit.

NOVIES recitetur Angeli-
 ca Salutatio ; meditando
 (dum quælibet Salutatio
 repetitur) vnum aliquod
 priuilegium Virgini à Christo datum,
 in gratiam hospitij, Christo in utero
 Virginis concessi : acceptâ hinc occa-
 sione, laudandi in primis gratulan-
 dique

Delinatio carceris P. CAROLI SPINOLÆ ex Soc. IESV, desumpta ex autographo ipsiusmet
 P. CAROLI, quod P. SEBASTIANVS VIERA ad eius patriam Genuam detulit.



P R E C E S

Via
lactis
et
carnium
et
carnium
et
carnium

diq̄ue diuinæ bonitati, quæ Virginem honore tanto est dignata; & Virginem ipsam extollendi venerandiq̄ue, flagitando ab eâ gratiam, certo Priuilegio respondentem.

Primum Priuilegium est, Reuerà fuisse DEI Matrem, quæ suo eum vtero conceperit, ope Spiritus sancti. Quam ob rem gratias DEO referam, simul venerando talem tantamq̄ue Matrem. Tu insuper illam ora, vt DEI mater spiritualis efficiare, voluntati DEI sanctissimæ obtemperando ex sententiâ illius Euangelici pronuntiati: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.*

Alterum Priuilegium est, Simul Matrem extitisse & Virginem, iunctis per miraculum fecunditate & virginitate. Ora Christum per materna merita, vt tibi bonorum omnium

M 3 imper-

impertiatur vbertatem , puritati corporis animiꝫue coniunctam.

Tertium est, Grauidam mensibus nouem Christum non solũ absque molestiã tulisse ponderis , verũ etiam cum leuaminis sensu . Obscra, vti numquam graue tibi videatur, iugum Domini portare ; sed contrã leuis ac suavis appareat obseruatio legum ipsius.

Quartum, Cũ aliã omnes prolem cum dolore sint enixã, hanc summo cum gaudio peperisse . Ora beatam Virginem , vt gratiam tibi impetret pariendi spiritualiter DEVM, hilari bonorum desideriorum propositiꝫue executione, quam præstare decreuisti ; atque hinc animi tibi crescant ad vincendas difficultates omnes molestiasꝫue, quã bonis operibus esse solent impedimento.

Quintum, Postquam angustis vteri

claustris illum Virgo esset complexa, quem neque cæli neque terra comprehendunt; tantam ei inter res creatas capacitatem esse datam, vt in eâ DEVS collocaret plenitudinem gratiæ, quæ Sanctorum omnium gratiam immensè superaret. DEVM obtestaberis per amorem illum, quo nouem se mensibus virgineo utero inclusit, eius te gratiæ cælestiumque donorum capacem efficiat, quibus te iam inde ab omni æternitate ornare decreuit, si tu modò permittas.

Sextum, Postquam Verbum æternum humanitatis nostræ vestem de castissimis Virginis beatissimæ visceribus sibi texuisset, instar Pontificis summi eam dicauit consecrauitque in templum viuum, verumque tabernaculum DEI; ex illâ Dauidici carminis sententiâ : *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*. Obsecra DEVM,

M 4

inter-

interpositâ precatione Virginis ; vt quoniam per Baptismi fontem in Spiritus sancti templum es consecratus , illud omni labe purum serues.

Septimum , Cùm Christus sit verus vitæ panis , virgineus MARIÆ vterus factus est publicum orbis horreum , è quo eductum est frumentum electorum , vt conderetur panis Eucharistiæ , quo Fideles omnes pascuntur nutriunturque ; qui venter illo celebratur Sponsi Cantico : *Venter tuus sicut aceruus tritici*. Obsecra beatissimam Virginem , vt quemadmodum liberalis fuit in subministrando Angelico illo pane , sic quoque tibi gratiam impetret , cum pari (quâ tanto par est Mysterio) religione obseruantiaque gustandi.

Octauum , Cùm Christus sit secundus noster Adamus , cælestis
nem-

nempe ille ac diuinus, dum in MARIÆ latuit abditus visceribus, eam secundam Euam reddidit; ex quâ per Christum regenerati sumus in filios DEI adoptiuos, cum ex primâ Euâ nati essemus filij iræ. Recurre igitur, boni instar filij, ad pijssimam hanc Matrem; eam obtestare, vt in suam te tutelam recipiat, & à primæ Euæ te calamitatibus asserat.

Nonum, Postquam in Virgine DEVS habitauit, facta est instar paradisi deliciarum ac voluptatum, imò cæli instar empyrij, cui semper frequens assistit Cælitum regia: cum nequeant cælestes illæ mentes pulcherrimo hoc spectaculo fatiari; quale fuit, videre immensum DEVM vnus Virgunculæ sinu inclusum. DEVM orabis, vt animam tuam vertat in paradisum di-

M 5 uinæ

186

uinæ suæ Maieftatis , expurgetque
spinis , vrticis , tribulis omnibus vi-
tiorum , quæ sterilem in filuam atque
infecundam , eam conuerterunt.

F I N I S.

